Digitized by Google

DISSERTATIO DE LIBRIS LEGENDIS,

quædam de ſtudiis rectè tractandis admixta habens,

conſcripta

à

JOH. FRID. HODANNO.

HANOVERÆ
Literis *SAMUELIS AMMONII*,
Typogr. Aulic.

M DCC V.

Digitized by Google

NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

JUSTO CHRISTOPHORO REICHIO,

Potentisſimi Electoris Brunſvico-Luneburgici Conſiliario Aulico, nec non Cœnobii Ilfeldenſis Adminiſtratori Gravisſimo &c.

hasce pagellas

D. D. D.

Auctor.

Digitized by Google

NOBILISSIME,
CONSULTISSIME
ATQUE EXCELLENTIS-SIME DOMINE,

PATRONE MAGNE.

BEnevolè me ſemper, quando ad TE acceſſi, excepiſti, petitaq; mea proponentem benignè audiiſti. Quare arbitror, hocce etiam ſcriptum, quod jam offero,

fero, à TE non iri rejectum. Explicare in eo conatus ſum, quid de libris legendis ſentiam. Debuiſsent fortè propoſita aliquantò latiùs diduci, variaq; alia afferri, quæ de ſtudiis rectè tractandis utiliter dici poſſunt. Sed malui in præſentiarum ea tantùm, quæ ſubitò mihi, hanc materiam animò volventi, inciderunt, in chartam conjicere: quam collectis multorum aliorum ſuffragiis ſcriptum præter neceſsitatem dilatare. Accipe itaque Vir Excellentisſime, hoc levidenſe munus, ſtudiaque mea favore Tuo dignare perpetuo. Faxit Deus, ut non ſolum, quem nuper incepimus annum, ſed etiam plurimos ſecuturos alios feliciter abſol-

 vere,

vere, muneribusque TUIS graviſſimis in ſalutem totius Electoratus & commodum inclyti Cœnobii Ilfeldenſis, cujus Adminiſtratio nuper à Potentiſſimo Electore TIBI commiſſa eſt, multis adhuc ſibi invicem ſuccedentibus luſtris præeſſe queas. Hæc vovet.

Excellentiæ Tuæ

Scripſi Hanoveræ Anno 1705. *d.* 7. *Januar.*

Cultor Obſervantiſſimus

J. F. H.

Digitized by Google

I. N. J. A.

DISSERTATIO DE LIBRIS LEGENDIS.

MAgni intereſt ejus, qui eruditis annumerari cupit, ſcire, quomodo in libris legendis ſit verſandum. Non lubet atque vacat jam recenſere aut excutere, quæ alii hac de re commentati ſunt. Saltem, quæ jam menti occurrunt hac in re obſervanda, quanta potero brevitate annotabo.

Inter novaturientes quidam dubitare ſolent, quemadmodum & de rebus aliis omnibus dubitant,

an omnino libri ſint legendi. Meditationes dicunt eſſe creberrime inſtituendas: per eas nos in interiora rerum penetrare, atque ſic veritatem invenire. Quamvis autem ſummum meditationum uſum non negem, lectionem tamen librorum illæ non abolent; præſertim, cum libri lecti materiam ſuppeditent meditationi commodiſſimam. Propriis vero meditationibus ſe tantum oblectantes, interdum egregia nonnulla ſe excogitaſſe putant, quæ tamen ab aliis dudum ſunt animadverſa atque tradita.

Quidam ulterius procedunt dicentes, orbem non magnam jacturam eſſe facturum, ſi omnes, qui extant libri, perirent, exceptis forte bibliis ſacris, ſcriptis medicis atque hiſtoricis. Contra eos tamen militare puto, tot fœtus tam diverſorum ingeniorum, ſi ſemel interierint, tam facile, ut illi exiſtimant, reparari non poſſe.

Nota-

Notari meretur, uno ſæpe tantùm auctore ſtudia literarum magna cepiſſe incrementa. E Socratis ſchola omne præſtantisſimorum Philoſophorum genus prodiit, ut apud Sinenſes e ſchola Confutii. Scholaſticis præivit Lombardus: noſtris ſeculis cum ſtudiis humanioribus etiam reliquæ ſcientiæ, præeunte præcipue Erasmo paucisque aliis, excultæ ſunt. Tales autem præcellentis ingenii viri raro a Deo excitantur, contemtum priorum juſtisſimè vindicante. Ductoribus vero deſtituti plerique ex vulgo inertiam ſequuntur, ad aliquid audendum in bonis literis prorſus exiſtentes inepti. Idcirco maximæ Divino Numini debentur grates, quod, quantum adhuc eruditionis atque bonorum librorum ſupereſſe videmus, in hunc usque diem benigne ſervare voluerit: precarique convenit, ut, quæ bona apud nos reperiuntur, ad ſeros etiam poſteros propaget.

Digitized by Google

Alii in iis carpendis ſunt nimii, qui novos in lucem proferunt libros, aſſerentes, non ſatis laboris, induſtriæ atque eruditionis hodie ad ſcribendum adferri: materias tantum ſuperficietenus tractari: haud raro quoque non vulgares admitti errores. Cenſores igitur iſtiusmodi viros, de republica literaria bene mereri cupidos liberè quidem, ſed tamen ſine aſperitate, antequam eorum ſcripta vel prodirent, vel quando jam in vulgus ſparſa ſunt, monere deberent, quæ induſtriæ ipſorum addenda, vel in ipſis ſcirent reprehendenda. Utile eſſet, ut unusquisque nova editurus propoſitum ſuum publicè indicaret, quo & alii conatibus illis, ſuis cogitatis ſubvenirent: quod etiam nonnunquam fieri ſolet. Sed ſic interdum ſcripta ſupprimerentur, de quibus ab initio exigua ſpes eſt; quæ tamen publicè edita atque perlecta ſpem de ſe conceptam ſuperant. Satius etiam

Digitized by Google

etiam eſſe arbitror, quædam, quamvis cum defectu aliquo conjuncta, publicè legenda proponere, quam omnino nihil ſcribere. Libris enim ſcribendis eruditio quoque conſervatur atque amplificatur. Dolendum hîc, ſcripturo quædam ſæpiſſime obſtare defectum ſumtuum, ad opus excudendum neceſſariorum. Bibliopolæ enim raro impenſas faciunt in ſcripta, ab iis non profecta, qui jam in luce hominum verſantur, atque antea cum lucro ſumtus ſubminiſtrantium ſua vulgarunt. Conatus igitur eorum, quibus res anguſta domi eſt, plerumque, ſi non penitus evaneſcunt, ſaltem ſuſpenduntur. Sed his malis cum nemo facile mederi queat, conſideremus libros, prout nobis quotannis typis exſcripti exhibentur, & quid in lectione eorum attendendum, perpendamus.

Inno-

Innoteſcunt boni libri veteres partim ex catalogis, qui eduntur, quando auctio librorum habenda eſt, partim ex Bibliothecarum, quæ alicujus nominis ſunt, ſedula inſpectione. Multa tunc invenimus a ſummis viris elaborata atque edita, de quibus ne cogitando quidem aliquid eſſemus ſuſpicati. Qui methodos ſtudiorum ſcribunt, credunt etiam, id ſibi inter alia negotii dari, ut indicent, quinam libri ſingulorum neceſſitatibus conveniant. Novos libros cognoſcimus ex Catalogis Lipſienſibus. Sed cum in iis multi inter editos recenſeantur, qui nondum editi, vel etiam nunquam edendi ſunt, optimum erit ſimul inſpicere acta eruditorum Lipſienſia, in quibus non ſolos optimorum librorum titulos, ſed etiam contenta reperimus.

Pro ſtudiorum diverſitate & libri variant. Sic alii libri ſunt Theologici, alii Juridici, Medici,

Phi-

Philoſophici & Philologici. Quanquam non decet virum doctum omnino imperitum eſſe rerum Juridicarum & medicarum: tamen, ſiquis eas accuratius pertractare velit, totum requirent hominem. Forte Ethicæ & Phyſicæ communi utiliter jungeretur introductio in jurisprudentiam & medicinam. Quid circa libros Juris Conſultorum atque Medicorum ſit agendum, ab aliis ſuo loco exponitur. Nos quædam circa lectionem librorum Theologicorum, Philoſophicorum & Philologicorum notabimus: quoniam talium inſpectio ad omnes doctos pertinet.

Primarium librum, quem in Theologia legendum habemus, ſunt Sacra Biblia, quæ cum Deo ipſo auctore ſint conſignata, eo majori etiam diligentia verſanda ſunt. Ut enim Spiritus Sanctus Prophetis & Apoſtolis dicentibus, ita & ſcribentibus affuit. Tantus autem ardor homini Chriſtiano

a tene-

a teneris ungviculis adeſſe deberet, qui non quieſceret, donec omnia perceperit a Deo in Scripturis hominibus propoſita. Idcirco ab initio uno die vel integra hiſtoria celebris alicujus viri, ex. gr. Abrahami, Joſephi, Davidis, Danielis, vel integra prophetia aut epiſtola perlegenda. Non ſatiabitur tamen prima lectione deſiderium in ſcripturis proficiendi: ſed quo quis crebrior in legendo fuerit, eo magis ad pergendum excitabitur. Cibum delicate guſtum noſtrum afficientem ſæpius comedere geſtimus: ſic anima nunquam non experitur famem erga dapes, quibus ſemel ſatiata eſt. Ita tamen lectionibus ſacris vacandum, ne per eas avocemur ab operibus, ad quæ per divinam vocationem ſumus deſtinati. Poſt fundamenta ſolida in ſacra lectione jacta poteſt etiam, cui tempus ſupereſt, religionum aliorum libros fundamentales conferre, ut falſitate ipſorum animadverſa

verſa in veritate eo magis confirmetur. Meritò putamus, in Turcis & Judæis etiam id damnandum eſſe, quod Chriſtianorum libros non evolvant, atque doctrinam ibi contentam perpendant. Id enim ſi facerent, procul dubio plures ad nos tranſirent. Nos autem, opinionibus ipſorum ritè perceptis, converſionem ipſorum multis modis adjuvare poterimus. Bibliis bis aut ter perlectis commentarios quoque in ea factos conſulamus.

Doctrinæ in ſcripturis hinc inde diſperſæ, a variis viris eruditis in epitomas redactæ ſunt: quæ, ſi minores & pro rudioribus confectæ, catecheſes appellantur: ſin majores & provectioribus conſecratæ, Compendiorum ſive Syſtematum nomen habent. Optimum horum, quod tamen nec nimis longum nec nimis breve ſit, eligendum: quod primum curſoria lectione, deinde vero majori adhibita diligentia ſæpius perlegendum,

dum, donec omnia memoriæ infixa ſint. Quamvis autem exiſtimemus, nos tale compendium totum jam devoraſſe: non tamen inpoſterum illud e manibus erit deponendum, ſed, quantum res noſtræ patiuntur, ſæpius repetendum. Imo ejusmodi Compendium eligendum eſt, ad quod omnia noſtra in eo genere ſtudia referre liceat. Non ſoli enim libro, quem fundamenti loco poſuimus, inhærere debemus: ſed etiam ab aliis diverſa methodo ſcripti conferendi erunt, ut ſic videamus, qua in re cum noſtro conveniant, in qua vero ab ipſo diſcrepent: quænam theſes aut doctrinæ in alio auctore tractentur a noſtro omiſsæ: quis in theſi aut explicanda aut probanda alterum ſuperet. Ideoque ſecundum librum noſtrum fundamentalem Excerpta inſtitui queunt, ſi nempe theſes in eo extantes ordine ſuo chartæ puræ inſcribamus, & ſpatium aliquan-

aliquanto majus unicuique theſi relinquamus. Quando jam alia Compendia aut Syſtemata ad manus noſtras perveniunt, ex iis theſes in noſtro Compendio non repertæ ad noſtra Excerpta referantur. Novum Compendium, ſi in theſibus quidem cum noſtro convenit, in explicatione earum tamen aut probatione novi quid habebit, quod ſuppeditabit excerpendi materiam. Conſilium noſtrum, quod proprie ad Compendia Theologica hic pertinet, ad omnia alia cæterarum diſciplinarum Compendia extendere licet. Adſveſcamus itaque ab initio Compendio cuidam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Theologiæ Polemicæ, Metaphyſicæ, Phyſicæ, Ethicæ, Politicæ atque Hiſtoriæ Univerſalis, & juxta id excerpta formemus, in quæ referamus alibi notatu digna ſeſe nobis offerentia. In academiis ad calamum dictantur Collegia, certam disciplinam erudite inter-

dum pertractantia, & non ubivis obvia continentia. Ea etiam tanquam duces noſtrorum ſtudiorum, ſi libri typis exſcripti non ſint ad manus, commodè adhibentur.

Cæterum, cum Theologia ſit disciplina practica, libri, qui praxin urgent, inprimis evolvendi. Agnitio Dei ſummopere requiritur ab homine Chriſtiano, adeo, ut Chriſtus dicat Joh. XVII, 3. hæc eſt vita æterna, ut te cognoſcant eſse illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum. Non ſufficit autem de Deo cognoſcere, quod ſit omniſcius, ſummè bonus, omnipotens; quod Chriſtus nos a poteſtate Satanæ & a morte æterna liberarit: ſed inſuper ſciendum eſt, quantum captûs humani imbecillitas permittit, quomodo Deus omniſcientiam ſuam, bonitatem & potentiam in regendo hoc univerſo exerceat: quomodo ſecundum illa

ſua

ſua attributa pios ſuos dirigat atque gubernet: quomodo hæc attributa Dei ex operibus ejus, quæ circa nos quotidie contingunt, cognoſcamus: quomodo etiam ſapientia atque bonitas divina, mediante virtute Dei nobis adſiſtente, ſint imitandæ. Præterea vis meriti Chriſti exactius perpendenda, quemadmodum per illud etiam credentibus vires communicentur peccata fugiendi, & in nova Deoque placente vita incedendi, adeo, ut, qui nondum ad pietatem reipſa exercendam animum applicavit, merito Chriſti nondum rectè utatur. Hæc omnia exponere ſcopus eſt librorum practicorum, & hoc pacto ſatis clare apparet, quam utilis ſit eorum ſedula lectio. Talia & nos propoſuimus in libello noſtro *de Imagine Dei, Peccato & Regeneratione*: in quo inter alia oſtendimus, unamquamq; rem appetere bonitatem ſuam, & qui bonitatem

dum pertractantia, & non ubivis obvia continentia. Ea etiam tanquam duces noſtrorum ſtudiorum, ſi libri typis exſcripti non ſint ad manus, commodè adhibentur.

Cæterum, cum Theologia ſit disciplina practica, libri, qui praxin urgent, inprimis evolvendi. Agnitio Dei ſummopere requiritur ab homine Chriſtiano, adeo, ut Chriſtus dicat Joh. XVII, 3. hæc eſt vita æterna, ut te cognoſcant eſse illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum. Non ſufficit autem de Deo cognoſcere, quod ſit omniſcius, ſummè bonus, omnipotens; quod Chriſtus nos a poteſtate Satanæ & a morte æterna liberarit: ſed inſuper ſciendum eſt, quantum captûs humani imbecillitas permittit, quomodo Deus omniſcientiam ſuam, bonitatem & potentiam in regendo hoc univerſo exerceat: quomodo ſecundum illa

ſua

ſua attributa pios ſuos dirigat atque gubernet: quomodo hæc attributa Dei ex operibus ejus, quæ circa nos quotidie contingunt, cognoſcamus: quomodo etiam ſapientia atque bonitas divina, mediante virtute Dei nobis adſiſtente, ſint imitandæ. Præterea vis meriti Chriſti exactius perpendenda, quemadmodum per illud etiam credentibus vires communicentur peccata fugiendi, & in nova Deoque placente vita incedendi, adeo, ut, qui nondum ad pietatem reipſa exercendam animum applicavit, merito Chriſti nondum recte utatur. Hæc omnia exponere ſcopus eſt librorum practicorum, & hoc pacto ſatis clare apparet, quam utilis ſit eorum ſedula lectio. Talia & nos propoſuimus in libello noſtro *de Imagine Dei, Peccato & Regeneratione*: in quo inter alia oſtendimus, unamquamq; rem appetere bonitatem ſuam, & qui bonitatem debi-

debitam vel ſibi, vel proximo vel aliis rebus acquirere, malaque a ſe vel ab aliis depellere laboret, eum bene agere. Sic, quoniam divitiæ, honores & voluptates: item pax, ſanitas, eloquentia homini certo reſpectu bona ſunt; licitè, ſi modus ſervetur, eadem appetuntur. Sed, quandoquidem homines nimia ſemper cupiditate in ea feruntur, eaque cum aliorum detrimento ſibi acquirere ſtudent, peccant & legem Dei violant. Qui autem per vires a Chriſto, in quem credunt, acceptas ſeſe abnegant, cupiditatesq; ejusmodi mortificant: cum bonis, quæ divina manus ſuppeditat, contenti ſunt: & ſi etiam ea, quæ bonis dictis opponuntur; nimirum paupertas, contemtus, fames & ſitis, bella morbique a Deo immituntur, nec ea refugiunt, ſed tanquam Chriſti crucem non inviti ſuſtinent. Hæc & alia plura in memorato tractatu latè diducuntur.

Quæri

Quæri hic poſſet, an etiam libri myſtici legi mereantur? Reſpondeo, quemque, qui aliqua lecturus ſit, debere prius ſeipſum probe perſcrutari, quo ingenio atque propoſito ſit: an noverit id, quod probum atque ſanum eſt, a pravo atque mortifero diſcernere. Interdum tales libri excitant legentem ad agnoſcendas imbecillitates humanas ex peccato originis oriundas, & ad accuratius perpendendam gratiam per Chriſtum nobis partam. Urgent converſionem, ut veteri homine depoſito novum induamus, & in luce ambulemus. Hisce tamen alia admiſcent, quæ cum doctrina ex ſacris ſcripturis hauſta non adeò conveniunt, v. gr. quæ docent de omnium cogitationum quaſi depoſitione, de amore puro, de Deo in corde hominis quærendo. Qui talia ab iis, quæ proba continent, ſecernere nequit, tutius ab ejusmodi libris abſtinet.

Circa libros Philoſophicos notandum primò, licere homini Chriſtiano ſtudium Philoſophiæ perdiſcendæ impendere. Quid enim aliud eſt Philoſophia quam cultura rationis? ſi rationem licet excolere, quis ſtudium Philoſophiæ impenſum reprehendet? Manus atque faciem lavando quaſi excolimus atque nitidiores reddimus, Deo id non prohibente, ſed certa occaſione jubente. Per Philoſophiam ratio non quidem ſufficienter, attamen vere a ſordibus inſcitiæ purgatur, & ad rectè ſentiendum atque agendum aſſuefit. Licitè utimur aliis rebus a ratione humana excogitatis: maria navigiis tranſimus, ripas fluviorum pontibus jungimus, domos exſtruimus, coquimus cibos, veſtes paramus. Si igitur hæc non ſunt prohibita, permiſſum etiam erit Philoſophiam excolere, quæ rationis inventum eſt, ad vitam commodè tranſigendam multum utili-

tatis

Digitized by Google

tatis affert, & inter alia docet, quomodo res modo enumeratæ rectè ſint adhibendæ. Moſes nunquam reprehenditur, quod in juventute ſapientiæ Ægyptiorum fuerit ſtudioſus. Paulus in ſcriptis Ethnicorum quæ legit, in epiſtolis ſuis atque oratione, quam ad Athenienſes habuit, teſtimoniorum loco adducere non veretur. Vinum etiam hominem decipere, atque de ſtatu bonæ mentis detrudere valet: quis tamen id propterea omnino fugiendum eſſe ſtatuerit? Quod Hieronymo obtigiſſe narratur, conſtat ſomnium fuiſſe. Somnia autem, ut non ſunt regulæ fidei, ita neque ſunt fundamentum, juxta quod vita ſit dirigenda.

Metaphyſicam ipſi brevi compendio Germanicè ſcripto complexi ſumus: in quo & illud præcipuum, quod ſimul terminos difficillimos Germanicis verbis exprimere tentavimus. In hac diſciplina hoc ſumus uſi principio,

quod, quicquid in re primum comparet atque nobis de ea innoteſcit, id etiam primo loco conſiderationem noſtram mereatur. Jam, ſi res, præcipue mundanas contemplamur, occurrunt nobis primò conſiderandæ in iis compoſitio, actiones & relationes. Ad tria hæc omnia, quæ Metaphyſici alias in diſciplina ſua tradere ſolent, commode reducuntur. Scilicet COMPOSITUM reſpectu partium dicitur *totum*. Habemus inter alia totum *univerſale* & eſſentiale. Partes eſſentiales Phyſicæ ſunt *materia* & *forma*. Compoſitum, in quo partes reipſa unitæ ſunt, eſt *unum*. ACTIO ſuſcipipitur ob certum *finem*, qui movet *cauſam efficientem*, ut agat. Qui agere cupit, agendi *potentia* inſtructus eſſe debet. Cauſas maximam partem conſequitur neceſſitas: unde diſquiſitio de *neceſſitate* hic inſtituitur. REFERUNTUR entia ad ſe invicem, & ſunt vel

Digitized by Google

vel *eadem vel diverſa.* Si res ad intellectum referas, is judicat, an, quod de iis dicitur, ſit *verum* vel falſum: ſin ad voluntatem, ea *bona* appetit & mala refugit. Convenientia reliquarum ſcientiarum cum hac, ex noſtra hypotheſi facile innoteſcit. Nam quæ de compoſitione tradit Metaphyſicus, uſum habent præcipuum in Phyſica: quæ de actionibus affert, multa in Ethicis occurrentia illuſtrant. Logica ſpecialem de relatione conſiderationem inſtituit.

Verſari in aulis cupiens, Ethicæ & Politicæ haud ſit ignarus. Nec legiſſe varias hiſtorias, populosque varios adiiſſe atque cum iis eſſe converſatum, ad prudentiam politicam colligendam erit inutile. Rebus naturalibus ad vitam noſtram ſuſtentandam utimur. Cum igitur Phyſica earum naturam explicet, & hæc ſcientia uſum maximum habebit. Inprimis autem ij in Phyſicis libri conſulendi,

Digitized by Google

qui, quæ afferunt, ſuper certa experimenta exſtruunt: conandumque, ut in plurimorum experimentorum Phyſicorum deveniamus cognitionem.

Matheſis laudatur ob firmitudinem demonſtrationum, qua omnes ſcientias longo poſt ſe relinquit intervallo. Sed animadverti, alia quadam ratione, quam fit a quibusdam, demonſtrationes mathematicas poſſe inſtitui. Finis primarius libri primi Elementorum Euclidis eſſe videtur demonſtratio theorematis Pythagorici. Si igitur hæc hypotheſis ſtatim ab initio proponeretur, ſimulque oſtenderetur, quomodo omnia in dicto libro ad illud theorema demonſtrandum quaſi conſpirarent, longe facilius, credo, propoſitiones Euclideæ perciperentur.

Alias notum eſt, in diſciplina eadem tradenda auctores variare, & v. gr. in Ethicis alia methodo procedere B. Hornejum, alia

Digitized by Google

alia Geulinxium, alia Buddeum, alia Omeiſium. E re eſſe arbitror ſingulari libro indicare, quam methodum quisque auctorum ejuſmodi obſervet; quomodo inter ſe conveniant, & quantum a ſe invicem diſcrepent: poſſetque id fieri ea ratione, qua editores Ephemeridum eruditorum contenta librorum recens editorum ſiſtunt.

A Philoſophicis ſtudiis ad Philologica transgredior, quò referre nonnullis placet ſtudium Hiſtoriæ, Eloquentiæ atque linguarum. Hiſtoria antiqua a Græcis atque Latinis literarum monumentis conſignata eſt, quorum libri duplicem habent uſum, nos primo in cognitionem eorum, quæ temporibus a noſtra memoria remotiſſimis acciderunt, deducentes: deinde etiam ſtyli formandi materiam præbentes. Poſſet hiſtoria quidem ex auctoribus iſtis, in linguam vernaculam traductis, etiam addiſci: optandum-

que

Digitized by Google

que eſſet, ut omnes Germanicè redditi extarent, atque parabili pretio venderentur, quo juventus, cujus profectus in linguis Græca atque Latina adhuc rudes ſunt, eos in manus ſumeret, &, ſi non aliud, ſaltem hiſtoriarum nexum ex iis diſceret. Qui tamen ipſos fontes adierit, majores ſentiet fructus. Verſi ſunt plerique auctores hiſtoriæ antiquæ ſatis eleganter in linguam Gallicam, ut, qui hujus linguæ peritus ſit, & eos curſoriè velit pervolvere, occaſionem habeat deſiderium ſuum ſatiandi: quo pacto ſimul ſcientiam linguæ Gallicæ perficiet. Illud certè curandum eſt, ut hiſtoriæ illæ, quæ occurrunt apud Herodotum, Diodorum Siculum, Juſtinum, Livium & ejus notæ plures, ab ipſa ineunte ætate nobis ſint familiariſſimæ: quo ſeniores facti earum meminiſſe, exque penu memoriæ noſtræ, ubi opus eſt, in lucem eas revocare poſſimus. Si jam velimus

limus abſque tædio menti eas infigere, utilem præſtabit operam ars noſtra excerpendi, qua docemus ex hiſtoria notatu digna propoſitionem educere talem, quam illa aliquando probare vel illuſtrare queat, propoſitionemque illam cum ſua illuſtratione ad certum titulum revocare. Hoc facientes ſimul excerpta noſtra augemus, in ſapientia atque eloquentia proficimus, hiſtoriasque eo firmius retinemus.

Præter antiquam, tum medij tum noſtri inprimis ævi hiſtoria perluſtranda eſt, ut res, quæ jam in noſtris atque vicinis regionibus geruntur, e fundamentis ſuis deducere valeamus. Ante omnia hiſtoriæ patriæ maxima eſt ratio habenda, ſoliciteque conquirenda ſingula, quæ ad eam accuratius cognoſcendam faciunt. Accidit interdum, ut territorij alicujus hiſtoria à viro aliquo induſtrio nondum ſit collecta. Ea igitur colli-

genda

Digitized by Google

genda erit ex hiſtoria univerſali totius gentis, ex hiſtoriis eorum populorum, cum quibus noſtro res interceſſit; ex monumentis publicis; chronicis, quæ apud privatos nonnunquam aſſervantur, narrationibusque eorum, qui rerum in territorio illo geſtarum notitia ſunt inſtructi. Hiſtoriæ Brunſvicenſis Compendium aliquod pro incipientibus noſtrâ forte opera, Deo volente, conficietur. Varii eruditi hucusque recenſuerunt ſcripta recens edita: quid ſi quis veteres illos Hiſtoricos Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Cæſarem, Svetonium ſimili ratione recenſeret, ut, qui totos illos auctores perlegendi otio deſtitueretur, in epitomen tamen redactos perluſtraret?

Ad hiſtorias quodammodo pertinent poëmata fabulas narrantia, comœdiæ vel tragœdiæ, &, quæ noſtro tempore in uſu ſunt, fabulæ Romanenſes. De his omnibus

bus fortaſſe dici poterit, quod, qui unum ejusmodi ſcriptum accuratè perlegerit, cætera etiam noverit. Sic, qui familiares ſibi reddidit Virgilii libros Æneidos, non debet conqueri, quod tempore careat etiam reliqua hujus generis poëmata perluſtrandi. Nam ratio fingendi atque methodus proponendi ubivis fere eadem. Interim non omne poëtarum ſtudium averſandum eſt, cum lectio illorum, ſuppeditans elegantiſſimas rem proferendi formulas ad eloquentiam acquirendam multum conducat. Paulus ipſe Poëtæ cuidam natione Cretenſi honorabile nomen Prophetæ dat Tit. I, 12. Fabularum Romanenſium quædam ubique probitatem & bonos mores ſpirant, ut Hercules Germanicus: quædam inter fabulas multa variæ eruditionis ſpecimina afferunt, ut Arminius Lohenſteinii; quædam futurum Politicum inſtruunt, ut Barclaji Argenis & Fe-

nelonis

nelonis Telemachus. Contra haud raro prodeunt quædam admodum obſcœnæ, variorumque flagitiorum deſcriptionibus refertæ, a quarum lectione omnino abſtinendum, cum multum inde mali in mores noſtros derivetur. Plerumque fabulæ illæ affectum amoris depingunt, ac ejus vim ob oculos ponunt. Nonne ſic etiam poſsent conſcribi fabulæ, quæ fœditatem iræ, odii, invidiæ dedemonſtrarent, ut homines ab his affectibus avocarentur? Scimus, tot res neceſſarias eſſe tractandas atque legendas, circa quas maxima quoque reperitur jucunditas: quare ergo neceſſitate inſuper habita ſolam jucunditatem venabimur? Homo rebus neceſſariis peragendis occupatus ejuſmodi fabulas facile ſpernit.

Ad Philologiam non incommode eloquentia refertur, quam ſiquis amat atque ex ea laudem ſibi comparare vult, ſtatim ab ineunte

ætate

ætate ad illam ſectandam animum appellere debet. Reliquarum enim ſcientiarum multas in ſenili adhuc ætate addiſcere licet: eloquentiam autem qui in juventute neglexerit, vereor, ne is ſenior factus fruſtra circa eam laboret. Quin & apud illos, qui in juventute eloquentiæ operam dederunt, creſcente ætate dicendi copia ſenſim imminuitur. Sunt quidem ſenes quandoque loquaces: loquacitas vero non eſt eloquentia. Quapropter ſtudium ejus in ſcholis inferioribus eo majore cum ſolicitudine urgendum. Qui in Gallia diu verſatur, linguam Gallicam addiſcere ſolet. Sic, qui per longum tempus inter optimos oratores degit, eosque non tantum declamantes attente audit, ſed & ſcripta eorum ſedula lectione terit, omnique ſtudio imitari conatur, ut aliquid ex genio eorum trahat, neceſſe eſt.

A Periodorum imitatione fiat initium, ut ita gradatim procedatur.

tur. Periodos figuratas, ſive, in quibus juxta ſententiam plerorumque Rhetorum figura eſt, ſatis copioſe exponunt exemplisque illuſtrant communes Rhetorum libelli. In iis autem periodis, in quibus tales figuræ non comparent, explicandis ſunt negligentiores: quaſi hæc res a ſola natura penderet, & arte perfici non poſſet. Inde eſt, quod viri quidam alias haud indocti in hac re ſæpe hallucinentur, &, vel periodos adhibeant longiores, quam par eſt, quæ rem valde obſcurant: vel apodoſin ad protaſin non recte inferant: vel protaſi poſita apodoſin omittant, aut aliis periodis interjectis demum eam afferant. Probe itaque obſervandum in oratoribus, quomodo ipſi periodos ſuas elaborarint: quod fieri poterit, ſi attendamus, quænam propoſitio Logica in ſingulis periodis lateat, & quomodo ea propoſitio variis adjectionibus ſit amplificata, ut formam præſentem

habeat

Digitized by Google

habeat. Hoc facto ſimilem propoſitionem debemus eligere, eamq; juxta exemplar propoſitum veſte oratoria induere. Natura orationis fert, ut periodi quædam per SI, CUM: quædam per ETSI, QUEMADMODUM, aliasque particulas incipiant. Variatione tamen in his particulis adhibendis opus eſt, ne omnes periodos per SI vel ETSI incipiamus, & ſic eadem ſemper oberremus chorda. Quin & ipſæ periodi, quarum natura poſcit, ut ejusmodi particulam habeant, ita variari poſſunt, ut ne appareat quidem extrinſecus, periodum a tali particula dirigi: prout id quoq; Celeberrimus *Weiſius* ejusq; ſequaces acutè oſtenderunt, quibus certè viris multa in eloquentia debemus. Recte tamen periodi tales etiam dicuntur figurati aliquid habere, & ad figuras quasdam ſe reduci patiuntur. Poſtquam jam loco propoſitionis Logicæ, quam periodus auctoris habet, aliam aſſu-

mere, eamq; ſimili modo, quemadmodum auctor fecit, exornare didicimus: pars aliqua orationis ſive integrum enthymema ab auctore propoſitum in ſuas propoſitiones Logicas reſolvendum, & ad ſingulas auctoris propoſitiones aliæ, connexionem tamen quandam inter ſe habentes, inveniendæ, quæ omnes habitum, quo auctor propoſitiones ſuas veſtivit, imitentur. Et hoc ipſum deniq; in tota oratione tentandum. Hanc methodum ſecutus brevi multas dicendi formulas, multos periodum proponendi modos notabit, quibus propoſitiones Logicas perpoliat. Poterit tunc propoſitiones Logicas ex oratione aliqua boni auctoris educere, aliisque periodum proponendi modis, quam quibus auctor fecit, ſingulas eloqui: quod exercitium utilitate ſua non deſtituetur. Si quis ſcire deſideret, unde themata orationum ſcribendarum deſumere debeat, dico: nullam lectionem cujuscunque

aucto-

auctoris fore tam ſterilem, quin materiam dicendi ſtilumque exercendi ſuppeditet. v. gr. legat quis epiſtolam aliquam, in qua Cicero invitet in prædium ſuum familiarem quendam: ipſe etiam poterit amicum variis adhibitis rationibus ad ſe invitare, & rurſus eum vel adventum promittentem vel differentem vel ſeſe excuſantem fingere. In eodem exercitio perrecturus poteſt cauſas abſentiæ a ficta perſona allatas refutare, & eam rurſus ad veniendum inſtigare. Sic Tragœdiam ex Euripide legens occaſionem inde arripiet variarum orationum, materiæ tamen nexu cohærentium, conſcribendarum. Præterea res, quæ vel in Eccleſia vel republica geruntur, themata orationum plurima ſubminiſtrant. Quam amplos dicendi fontes præbent bellum, obſidio, occupatio urbis, pax, electio Regis, novæq; legis latio? Unica obſidio Trojana præclarum opus Homeri Iliada pe-

perit. Raptus Proſerpinæ Claudiano, inſigni Poëtæ, quatuor integros libros extorſit, de quibus tamen tres tantum hodie ſuperſunt. Alius recentior docuit ex adventu Moſis in terram Midianis & nuptiis cum Zippora elegantem, plurimisq; circumſtantiis involutam hiſtoriam ſive Comœdiam conficere.

Cæterum omnia in oratione redeunt ad propoſitiones varias, earundemq; probationes & amplificationes. Cui igitur de re quadam dicturo in promtu ſunt variæ propoſitiones cum ſuis probationibus & amplificationibus, eum copioſe & cum magna attentione auditorum loqui poſſe nemo dubitat. Patientes enim ei inprimis orationi commodamus aures, in qua, ad probationes propoſitionem ſive concluſionem rectè inferri, clarè apparet. Paraturus itaq; locos Communes ſive Excerpta curet de re plures propoſitiones, argumentis probantibus atq; illuſtrantibus munitas colligere:

Digitized by Google

re: quod, quomodo commodiſſimè fiat, in Arte noſtra Excerpendi plurimis exemplis, quorum complexum *Adminicula Sapientiæ atq; Eloquentiæ* appellare placuit, oſtenſum eſt. In ea tituli magno labore ita connexi ſunt, ut materiæ, naturalem habentes conjunctionem, uno loco reperiantur: atq; ita, quando ſub uno titulo excerpta deficiunt, ſub titulo cognato occurrentia eorum locum ſuppleant. Dum tituli omnes uno perpetuo nexu inter ſe cohærent, efficiunt quaſi ſcientiam quandam univerſalem, particulares ſub ſe complectentem. Fundamentis res innititur pauciſſimis perceptuq; facillimis. Loco enim hypotheſium aſſumo, intellectûs operationem verſari circa res ſupernaturales & naturales: voluntatem autem actionibus acquirere ſtudere bona, inprimis illa: divitias, honores, voluptates; omniq; modo averſari mala v. gr. morbos atq; bellum. Poſſent ejuſmodi labores no-

ſtri lucem aſpicere publicam, ſiquis bibliopolarum impenſas offerret neceſſarias.

Addemus quædam de ſtudiis linguarum. Viam ad eruditionem pandit lingua Latina, qua à mille annis ad hoc uſque tempus ſcientiæ & artes plerumque ſunt deſcriptæ. Peritiam ejus conciliamus nobis vel explicationem bonorum auctorum in ſcholis audiendo, vel ipſos auctores ſine præeunte magiſtro legendo, vel ſermones in ea lingua cum aliis conferendo, vel ad ipſam ſcriptionem manus admovendo. Animus ad altiora tendens nulla re magis impeditur quam linguæ Latinæ ignorantia. Opera igitur danda, ut quamprimum in ejus accuratiorem cognitionem deveniamus. Pro captu diſcipulorum boni auctores in ſcholis exponuntur, elegantes locutiones in iis obviæ inculcantur, imitandique ratio oſtenditur. Verum, cum hic pauca abſolvi poſſe res

ipſa

ipſa loquatur : diſcipulus induſtrius non ſit contentus ea ſaltem memoriæ infixiſſe, quæ in ſchola propoſita audiit : ſed ipſe propria induſtria bonos auctores arripiat, legat atque in uſum convertat. Juvant hoc ſtudium verſiones auctorum in linguam vernaculam, quæ ita interdum ſunt confectæ, ut verba auctoris Latina, Germanicè reddenda, ab interprete juxta conſtructionem Grammaticam ſint diſpoſita, qua ratione in mentem ſcripti Latini facilius penetramus. Sumat igitur diſcens ab initio auctorem faciliorem, dicta ratione Germanicè verſum, v. gr. Cornelium Nepotem, Terentium, in quibus vertendis Dominus Hartnaccius operam non male poſuit: capita aliquot, adhibita, ubi hæret, verſione percurrat : poſtea eadem ſine verſione legat, tentans, an omnia rectè perceperit ; & ſic totum auctorem tractet : unoque abſoluto eadem cum altero agat :

 & tunc

& tunc procul dubio ſentiet, ſe in intelligendo auctore profectus aliquos cepiſſe. Auctor autem ſic perlectus ſæpius a capite ad calcem repetendus eſt, ut eo familiarior reddatur. Notandum etiam, quæ hodie Latinè ſcribuntur, intellectu longè eſſe faciliora, quam ſcripta auctorum claſſicorum veterum. Quapropter diſcens ita delectetur veteribus legendis, ut a novis etiam inſpiciendis non abhorreat. Svaderem forte initium Latinæ Linguæ diſcendæ a bibliis Latinis facere, ni aliqui id puritati ſtili officere putarent. In reliquis autem linguis, quarum multæ ſaltem diſcuntur, ut auctorum elegantiſſimos atque utiliſſimos, qui aliquid in ea literis mandarunt, legere poſſimus, id medium tutius uſurpatur. Quoniam enim textus Sacræ Scripturæ homini Chriſtiano ab ineunte ætate eſt notus: is etiam in quavis lingua facilius legitur. At vero, qui Biblia

blia in Linguis, Gallica, Anglica, Italica, Polonica, Arabica legendo abſolverit, maximam partem librorum in hiſce linguis ſcriptorum intelliget, &, quæ perfectioni adhuc deſunt, ope bonorum Lexicorum propria compenſabit induſtria. Ab initio tamen legat eos, quorum verſio in lingua ſibi vernacula extat, ut eam, ubi neceſſitas exigit, conſulat.

Scribendi facultatem ſibi acquiſiturus, exercitia ſtili, a præceptoribus in lingua vernacula propoſita, diligenter elaboret, verſionemque interdum bis terve variet: quod ad copiam acquirendam multum facit. Dictentur etiam pueris imitationes, quarum ope locutiones, in auctore occurrentes, recte in uſum convertere diſcant. Nonnulla exercitia tendant ad difficiliores regulas Grammaticas illuſtrandas atque menti infigendas. Interdum ſumamus ſcriptum, puritate linguæ Latinæ

ſeſe

ſeſe commendans, ejusque verſionem Germanicam diſcipulis dictemus, ut ita eo nitidiorem Latinitatem iis inſtillemus. Talibus crebro exercitatus diſcens ſine cortice natare incipiat, ſumatque ipſe materiam, in qua proprio Marte elaboranda, quid poſſint humeri quid ferre recuſent, experiatur: quo in ſtudio facilius progredietur, ſi propoſitioni logicæ in periodum Rhetoricam convertendæ jam ſit aſſvetus: putetque ſibi quoque hoc in negotio dictam eſſe hanc Poëtæ ſententiam:

Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit.

Fieri poſse arbitror, ut quis diu in certo aliquo auctore, v.gr. Cicerone, Curtio, Salluſtio legendo atq; imitando verſatus, ita eum in ſuccum atq; ſanguinem vertat, ut deinde in omnibus ſuis ſcriptis ſtilum, vel Ciceronianum, vel quod magis in oculos incurret, Curtianum vel Salluſtianum exprimat, quod ſane laudem

dem non omnino nullam mereretur. Sed cum pleriſque ſatis bene agitur, ſi modo ſenſa animi ſui iis loquendi modis, qui apud omnes ſunt in uſu & ab omnibus intelliguntur, queant expromere.

In tanta librorum varietate atq; copia, cum omnes legere non liceat, quæritur, an vel multos vel paucos ſaltem legiſſe utilius ſit? Ex ſuperioribus talis reſponſio formari poſſet, paucos libros eſſe quaſi devorandos, ut contenta eorum ubiq; in promptu ſint: ex reliquis autem ea colligenda, quæ in familiaribus nobis libris deſiderari videntur. Varios libros tantum obiter perlegimus, contenti, ſi quædam ſaltem ex lectis memoriæ inhæreant: de iis vero, quæ memoria effluunt, parum ſoliciti. Sæpe, qui paucos tantum libros legerunt, in cœtu aliorum ſemper aliquid habent, quo converſantes ſecum oblectent. Sic novi civem celebris alicujus urbis, qui præter Schuppii, Theologi

quon-

quondam Hamburgenſis libellos parum legit: & tamen ſemper ipſi quædam ſuppetunt, quæ ex illo auctore interdum ſatis appoſite afferat. Solymannum Turcarum Imperatorem ferunt, cum cognoviſſet, Carolum V. Imperatorem Romanorum unicè delectari libro aliquo legendo, omnem adhibuiſſe induſtriam, ut exploraret, quis iſte liber eſſet: cumq; percepiſſet, eum eſſe ſcripta Julii Cæſaris, continuò hæc illum in linguam ſuam vertenda curaſſe, & poſtea in iis legendis admodum fuiſſe ſedulum. Magnus Alexander comitem in bellis ſuis habebat Homerum ſuum, quo tanquam conſiliario muto ſæpe utebatur.

Sed an ex ſola lectione vir doctus evadere quis poteſt? Annon neceſſariò requiritur ad eruditionem comparandam viva doctoris informatio? Reſpondeo: vivam docentis vocem neutiquam eſſe negligendam, ubi haberi poſſit. Accidit tamen,

tamen, ut diſcere cupientibus ab ore informantis pendere non liceat. Quos reſtauratores bonarum literarum ductores habuerunt, niſi libros ab antiquis ſapientibus nobis relictos? Inde etiam nemo, ſenior factus, queratur, occaſionem diſcendi ſibi eſſe præcluſam. Libros in manus ſumat, evolvat, legat: & induſtria adhibita difficillimarum etiam rerum notitiam ſibi parabit.

Laudem eruditi affectans debet perlegere ſcripta illa, varia eruditione referta, quæ ſingulis menſibus prodire ſolent, & non tantum deſcribunt, quid in republica, ſed etiam, quid in orbe literario agatur: inprimis vero inter illa Acta eruditorum Lipſienſia, Nova Literaria Germaniæ Hamburgenſia, Domini Tentzelii Bibliothecam Curioſam, variaq; alia. Huc referenda ſcripta Eraſmi Franciſci ſive Fixii, Happelii, Ernſtii, Bohſii, qui ſe Talandrum vocat, Adami ejus, qui nomen Miſandri aſſumſit, Zenneri, Joh.

Georg.

Georg. Eccardi, ſcripta Gallorum in ANA, Paulini, Val. Ern. Lõſcheri &c. Ruſtici ſub novi anni initium a variis auctoribus confecta Calendaria ſolent coëmere, quæ ſibi invicem mutuo dant; & ita hi ex iſto genere librorum proficiunt.

Varia lecturis inopia rerum magnū ſæpe impedimentum objicit, dum nūmis deſtituti libros neceſſarios ſibi comparare nequeunt. Si tamen tanto ardeant ſtudiorum amore: favore eorum, qui bene inſtructas bibliothecas habent, ſibi comparato, ab aliis mutuo accipient, quæ ſibi ipſis deſunt. Utile eſſet, ut non tantum in templis urbium ſed etiam pagorum parvæ bibliothecæ aſſervarentur, ex quibus indigentibus boni libri commodari poſſent: quæ bibliothecæ tamen quotannis libris inſignibus recens editis, certa ad id deſtinata pecunia, eſſent augendæ. Objici poſſet contra librorum uſum, iis acquirendis pecuniam e terra noſtra exportari. Sed huic malo medemur, ſi etiam apud nos patimur varios utiles libros typis exſcribi, qui cum importandis permutentur.

Hæc ſunt, quæ hac occaſione de libris legendis monere volui, Deum precans, ut iis, qui bonis libris legendis delectantur, occaſionem ſuppeditet deſiderium ſuum explendi: quo optima quæq; e variis ſcriptis colligere, collecta in uſum Eccleſiæ atq; reipublicæ convertere, & e theſauro ſuo nova & vetera proferre poſſint.

SOLI DEO GLORIA.

Digitized by Google



Digitized by Google